

censeri debet. Nam primò certum est , præceptum Legis quartum de præcisa diei septimi sanctificatione, nunc sub N. Test. per Christum sive Apostolos ejus clarè abrogatum esse. Secundò certum est præceptum septimum, *non machaberis*, sub lege non adeò latè se extendisse , ut I. Polygamiam etiam vetitam esse ea lege censeri deberet : II. ut divortium ob aliam nullam causam , quam ob adulterium comprehendenderet : At hoc pacto nunc præceptum istud accipendum esse non obscurè fatentur penè omnes Christiani. Deniq; certum est , multa olim permissa fuisse sub V. Test. quæ tum sine peccato aut violatione Legis divinæ fieri poterant , quæ nunc vetita sunt, & sine certo salutis æternæ periculo fieri non possunt: Quod attinet quæstionem, An finis adventus Jesu Christi inter alios etiam fuerit , ut hæc præcepta nobis proponeret , incertum est quid Censor quærat , & quid ipse de ea statuat. Nam aliquando videtur id negare simpliciter, aliquando concedere quidem, sed ita, ut finis ille non fuerit principalis , sic enim concludit , *Finis ergo principalis adventus Christi hic non fuit.* Remonstrantes quod attinet, illi non dubitant , quin finis Jesu Christi adventus inter alios etiam hic fuerit: an principalis fuerit , & quid vox principalis significet , scrupulose inquire operæ-premium non putant. Scilicet is Christianis labor est, ea cura pios sollicitat. Habeant sibi hæc & alia Vitilitigatores Academic , quibus libet ex mustaceo isto laureolam petere , & in enucleandis ejusmodi quæstionum arcanis , ingenium simul ac tempus suum dilapidare. Deniq; , An Christus mandata hæc dederit eum in finem, ut per eorum plenam ac præcisam observationem salutem æternam consequamur, non ineptè tantum quæritur, sed & falso additur id a Remonstrantibus affirmari. Nunquam id, ne per transennam quidem a Remonstrantibus indicatum aut affirmatum est: quin imò ubiq; sic statuunt : Præcepta ista omnia pariter observatu necessaria esse, si quis salutis per Christum particeps esse velit: At præcepta ista omnia observare non esse ea adeò plenè, rigidè ac præcise observare, ut nunquam in illum eorum impingas, sive per inadvertitiam, sive per subitam aliquam passionem, sive per aliam aliquam improvifam ὥρην ; imò credunt hoc fieri posse , &, si modo accedit pænitentia, Deum talem censere eodem loco, ac si præcepta omnia, prout oportet , plenè ac rigidè observasset. Et hac in re observatio præceptorum Euangelica differt à Legali, quod hæc plena, rigida & præcisa esse debeat, & si unum modò interveniat peccatum , nec remissioni nec pænitentiæ locus sit ; illa verò, ut plena, præcisa

Plenam ac
præcisam mā-
datorum om-
nium Legis
observationē
necessariam
esse ad salutē,
falso tribuitur
Remonstra-
tibus.